



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessio Fidei Exhibita Invictiss. Imp. Carolo V. Cæsari
Aug. in Comicijs Avgvstæ. Anno M. D. XXX.**

Melanchthon, Philipp

Vitebergæ, 1542

VD16 C 4714

XX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35748

ARTICVLI FIDEI

est uoluntas malorum, uidelicet diaboli & impiorum hominum, quæ auerit se a Deo, ad alias res contra mandata Dei. Ideo Christus inquit de Diabolo, Cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur.

XX.

Quod aduersarij criminantur nos, negligi a nobis doctrinam de bonis operibus, manifesta calumnia est. Extant enim libri nostrorum, in quibus pie & utiliter docent de bonis operibus, quæ opera in qualibet uocatione Deo placeant, Cumq; in Ecclesijs magnum olim fuerit silentium de precipuis operibus, scilicet de exercitijs fidei, & de laude politicorum operum, & magna ex parte consumerentur omnes conciones in laudibus traditionum humanarum, in ferijs, Ieiunijs, Monachatu fraternitatibus, peregrinationibus, cultu sanctorum, Rosarijs & alijs inutilibus cultibus ornandis, nunc Dei beneficio reuocatur Ecclesia ad ueros, & utiles cultus, quos Deus probat & requirit. Prophete grauissimis concionibus deplorant hanc Ecclesie calamitatem, q; ueris cultibus extinctis, in Ecclesia regnaturæ sint humane ceremonie & impia fiducia ceremoniarum. Et ab hoc errore reuocant

PRÆCIPVI.

*reuoquant Ecclesiam ad ueros cultus, ad uere bona
 opera. Quid potest dici grauius concione illa
 Psalmi 49. Deus Deorum dominus locutus est, &
 uocauit terram, Hic Deus uniuerso generi humano
 concionatur, damnat ceremoniarum fiduciam, &
 alios cultus proponit, & significat se ualde irasci
 his qui in Ecclesia ita predicant ceremonias, ut ue=
 ros cultus obruant. Similes extant multæ concio=
 nes in Prophetis, ut Esaiæ 58. Et Zachariæ 7, &
 Micheæ 6. Et Oseas clamitat, Misericordiam uo=
 lo, non sacrificium, & noticiam Dei plus quam
 holocausta. Nec obscurum est multos bonos & do=
 ctos uiros etiam ante hanc ætatem desiderasse do=
 ctinam de consolatione conscienciarũ & de ope=
 rum discrimine meliorem. Debet enim in Ecclesia
 extare utraq; doctrina, uidelicet Euangelium de
 fide, ad erudiendas & consolandas consciências de=
 bet etiam proponi, quæ sint uere bona opera, quæ
 sint ueri cultus Dei. Sed aduersarij, quia corrup=
 punt doctrinam de fide, primum non possunt con=
 sciências firmam consolationem proponere, iubent
 enim dubitare de remissione peccatorum. Et ta=
 men postea iubent querere remissionem per pro=
 pria opera, affingunt monachatus, & alia opera.
 Deinde abolent & ueros cultus, Nam inuocatio
 c & cetera*

c & cetera

ARTICVLI FIDEI.

Et cetera spiritualia exercitia excutiuntur animis, non confirmatis fiducia Christi. Preterea nec placent Deo opera secundæ tabulæ, nisi fides accedat, quod propter Christum placeat hæc inchoata et imperfecta obediēcia. Tertio obscurant opera a Deo mandata, et longe anteferunt humanas traditiones, Has ornant speciosissimis titulis, Vocant eas Euangelicam perfectionem, Interim de officijs uocationis, magistratu, coniugio, ita frigide docuerūt, ut multi graues uiri dubitauerint, an hæc uitæ genera placerent Deo, Itaq; concionatores nostri, bono studio, utrumq; doctrinæ genus illustrauerunt, Proponunt Euangelium de fide, et addunt piam doctrinam de operibus.

DE FIDE.

Primum igitur de fide et iustificatione sic docent, Christus apte complexus est Summam Euangelij, cum Lucæ Ultimo, iubet predicari in nomine suo pœnitentiam et remissionem peccatorum. Nam Euangelium arguit peccata, et requirit pœnitentiam, et simul offert remissionem peccatorum propter Christum, gratis, non propter nostram dignitatem. Et sicut uniuersalis est pœnitentiæ predicatio, ita et promissio gratiæ uniuersalis.